DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

EPISPASTICIS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE EPISPASTICIS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

1184 b 9
13

DE

EPISPASTICIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS IRVINE,

SCOTUS.

"Illa oratio potius temporis mei, quam judicii, et auctoritatis fuit." CICERO.

Ad diem 24. Junii hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ALEX. SMELLIE.

1798.

BRITISH MUSEUM

43.
10. 10.
263.

VIRO SPECTATISSIMO,

GEORGIO JARDINE,

LOGICÆ IN UNIVERSITATE GLASGUENSI

PROFESSORI,

OB AMICITIAM IN SE PATERNAM,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PARVULUM QUIDEM, SED GRATI ANIMI

PIGNUS,

SACRAS ESSE

VOLUIT AUCTOR.

GEORGIO JARPINI,

LOGICÆ IN UNIVERSITATE CLASSUENSI

PROFESSORI,

OS AMICITIÆ IN SE PATERNÆ,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PARVULUM QUIDEM, SED CRATE ANIMI

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
QUAEDAM DE
EPISPASTICIS
COMPLECTENS.

IN lucem publicam rudes juvenis edere inveſtigationes, nec ſapientiae, neve modeſtiae convenit. More tamen celeberrimae hujus academiae inſtitutis geſto, quae potui, de cutis externae irritationibus protuli: nec alia mihi ſpes fuit, quam ut errores plurimos, laude digna admodum pauca invenerit, qui leget. Lectorem au-

tem meminisse oportet, invitum me prorsus ad hunc laborem accingi, famae neutiquam amore abreptum. Veniam igitur et indulgentiam oro; "Fortunae caetera mando."

A primâ usque medicinâ, multis irritationis externae modis, veluti sinapismis, cauterio, oleisque acribus, usi fuerunt medici; recentioresque, tam ob nominum magnorum veterumque auctoritatem atque famam, quam ob experimenta, quae ipsi felicia fecerant, eximiorum horum medicaminum usum maxime adauxerunt. Quare nunc quidem dierum vix quicquid medicina hisce usitatius praebet; et non alio fere medicamento orbatus medicus incommodum gravius perferret. Quo veruntamen tempore primum in haec remedia homines animos vertebant, quibus formulis olim utebantur, aut quomodo, quos ederent effectus in morbis multis explorabant, ad quorum medelam spe-

cifica

cifica quasi hodie aestimantur, operam luderit, qui quaeret; et feliciſſimâ fortasse factâ investigatione, in statu eodem essemus, quo ille, qui, cum e multâ paleâ grana pauciſſima cum labore non exiguo excerpsiſſet, grana ipsa velut operis pretium accepit. Pro explorato tamen habendum est Hippocratem medicinae patrem horum nonnulla medicaminum aegrotantibus aliquando praecipuisse; aliis vero jam recensitis cauterium ipsum anteponendum ratus est, dirius profecto remedium et crudelius, haud vero certe potentius. Notatum sane fuit medicorum observationibus inflammationem internam, erysipelate cutem superjectam adorto, cito fugari: hoc de hepatitide patebat. Verum enimvero sedulo cavendum est, ne rationis humanae vim nimiâ dilaudemus curâ, eo a fortunato quopiam casu exorto, quod ratiocinationi tribuere voluimus. Multa quidem et pulcherrima

cherrima hominum inventa, fortunâ duce, fuerunt reperta; nec aliter in medicinâ res ſe habet: nam, ut cum Celſo dicam, non poſt rationem medicina inventa, ſed poſt inventam medicinam ratio fuit quaeſita.

Caeteris fere omnibus remediis, quae irritationes externae ſive epiſpaſtica nuncupantur, hodie quidem anteponere ſolent medici veſicatoria, ſinapiſmos, atque olea acria ad fugaciorem, fonticulos vero et ſetacea ad ſtimulationem magis diuturnam. Quin et alia ſunt nonnulla, quae olim famam majorem ſibimet ipſis vendicarunt: hodierni vero pauci iis utuntur; Britanni certo rare, alienigenae non ſaepe admodum. De his autem quoque medicamentis, quae moxae, cauterii ipſius, emplaſtrorumque reſinoſorum nominibus gaudent, pauca tam differere placet, quam de caeteris, veſicatoriis nempe, fonticulis, ſetaceis, ſinapiſmis,

oleis

oleis essentialibus, alcohol, camphorâ, atque cauterio potentiali.

Vesicatoria, ea saltem, quae maxime hodie praecipere est mos, non inter inventa hominum vetustiora recenseri possunt. E pulvere cantharidum formantur cum aliis quibusdam commisto rebus, quae non virtutem majorem seu potentiam quamlibet novam adhibent, sed ductilitatem tantum tenacitatemque suppeditant. Hoc emplastro illita pellis sive pannus linteus cuti arcte admodum applicatur. Post spatium breve aegrotans dolorem conqueritur, primo levem ac titillantem, dein vero gradatim augescentem, donec urendi sensum non absimili modo refert. Si nunc quidem amoveatur emplastrum, cutis erysipelate quasi affecta esse videtur. Vesicatorii vero applicatione diutius continuatâ, epidermis a cute verâ paulatim distrahitur, et vesica fero

multo

multo impleta denique colligitur. Tali autem modo agentia veſicatoria ſummis nituntur viribus; aliquando enim nullum fere omnino edunt effectum, et haud raro cutis ſolummodo rubeſcit, vel ne minimâ, vel ſeri quantitate effuſâ parum notabili. Veſicâ autem inciſâ, feroque emiſſo, pars veſicata vel unguenti ſimplicis ope curatur, vel longius protrahi poſſit ſtimulatio, unguento aliquo adhibito acriori ex infuſo vel pulvere cantharidum praeparato. Ad multorum morborum medelam praecipiuntur veſicatoria, maxime tamen urgente dolore quovis, vel partis cujuſlibet inflammatione. In phlegmaſiis vero non prius adhiberi poſſunt, quam detractus fuit ſanguis. Hoc enim praetermiſſo, corpus univerſum irritatione afficiunt, dolore parum levato. Si vero ſanguinis ea antea ſubducta fuerit moles, quae ad diatheſin phlogiſticam compeſcendam valeat, effectum feliciſſimum edunt:

Et

Et in plurimis hujuſmodi morbis magnam praevertunt ſanguinis jacturam cum ſummo aegrotantis emolumento. Sanguine enim (uti aliter aliquando neceſſe eſt) ſaepe detracto, in debilitatem magnam incidit aeger, unde morbi medela dubia fit ac tarda; ne dicam quam crudelis omnino et lanio potius quam medico congruens talis ſit fluidi vitalis effuſio. Sedulo enim notandum eſt, quamvis venaeſectio modica ſaepe cum eventu fauſto celebratur, juſto tamen pleniorem non tantum nequid boni, ſed haud raro detrimenti multum aegro afferre. Veſicatoria porro optime ad dolorem ſine inflammatione amovendum praecipiuntur, velut in hyſteriâ et cephalalgiâ. In his tamen morbis, a quibus ſcilicet diatheſis phlogiſtica abeſt, non praemiſſâ opus eſt ſanguinis detractione. Obſervationes hae, paucae quamvis ac parum abſtruſae, eo uſque nihilominus valent, ut docere poſſint quanti aeſtimare

timare fas est vesicatoria; quot et quam lethalibus morbis feliciter occurrunt; et quam aegre ferre possit medicus remedii, talis ac tam efficacis jacturam.

Vesicatoria quoque, ut corpus torpidum ad vitam redintegratam velut in apoplexiâ et typho finiente suscitetur, saepe tamen cum infelici eventu praescribuntur. Neve hoc est medicamento vitio vertendum. Non quidem exstat remedium, quod, nullo interposito dubio, aegrotanti sanitatem reddat. Vitae enim flammâ extinctâ fere ac tantum non penitus aboletâ a vi morbi exitialis, corporeque non alia animae adhuc non efflatae signa prodente, quam ut notari possit spem haud in sempiternum abiisse, quia dum vita tum spes, rationis expers ac philosophi nomine penitus indignus ille esset, qui id male fortunatum medicamini parum valenti tribueret, cui causae fuerunt vires naturae

naturae obrutae ac exhauſtae. Atqui veſicatoria laudes magnas ſibimet a nonnullis vendicârunt, qui mature admodum haec medicamenta febricitantibus praeceperunt; antequam ſtupor quilibet, vel torpor ſuaſit corpus ad ſtimulationem novam cieri, aegro non adhuc inſenſili, vel medicinae non excitando poteſtatibus. Alii medici hiſce fuerunt uſi, ut materies eliminetur morbifica; alii quaſi ſtimulis; alii velut exinanientibus; quidam ut ſolvatur lentor, atque nonnulli ut ſpaſmus a cute vaſibuſque extremis amoveatur. Sed medici hodierni quidem nil ſcire ſe in febribus de materiâ morbificâ profitentur, et rationem omnem eliminationis penitus ignorant: Stimuli multi ſunt meliores ac efficaciores; febriumque ſimplicium per inſulas Britannicas graſſantium pauciſſimas magnam ferre poſſe exinanitionem experientiâ triſti fuit inveſtigatum; lentorem hodie pauci pyrexiae eſſe

cauſam credunt; et de ſpaſmo hoc ſufficiat, certe non per totum febris curſum continuare, minime ſaltem aegrotante per dierum plurimorum ſpatium continuo ſudore madido. Veſicatoria igitur inter remedia generalia enumerare omnis vetat doctrina. Sed contra talem eorum uſum fortiora adhuc pugnant argumenta. Auctoris enim clari experimenta non modo iſta medicamina inutilia eſſe, ſed perniciosa prorſus comprobavit, (vide Gregory Conſpectus). Minime tamen abnegari poſſit medicos nonnullos, quibus diverſa de hâc re eſt ſententia, multa his omnino abhorrentia, ab experimentis quoque uti dicunt illata, argumenta narrare. Quum tamen ad morborum topicorum medelam veſicatoria praecipiuntur, aliter longe res ſe habet. Non aliud exſtat medicamentum hiſce praeſtantius ad cephalalgiae levamen, moleſtiſſimum iſtud ac periculoſiſſimum typhi ſignum. Deliri-

um ipsum, quod raro capitis dolorem vehementem ac male curatum non excipit, hujus vi remedii aliquando fugatur. Quidam reverâ multa de delirii utilitate differuerunt, quod aegrum ab irritatione nocivâ salvum, uti credunt, praestare possit. Quanquam vero minus in delirio mitissimo adsit periculi, ille nihilominus, qui vidit, quam saepissime cephalalgia vehemens in delirium transit, delirium in stuporem, stuporque demum cito pede in mortem, omnia conari festinabit, ut talia prius abigantur signa, quam cerebri organisatio adeo fuisset laesa ut nequaquam reddi possit sanitati. Vesicatoria hoc habent incommodi ut facillime eorum ope adsit dysuria: Quare his adhibitis plurima bibenda est aqua. Dysuriâ vero nihilominus aegrum adoriente, pars vesicata caute lavanda, enema ex amylo et laudano liquido injiciendum, opium et semicupium praecipienda. Nonnulli camphorâ

phorâ utuntur; et magnopere praecavendum si capillos abradere necesse sit, ne cutis pars quaevis simul abscindatur. Hoc enim facto, facillime sorbentur cantharides, quapropter differre oportet vesicatorii applicationem.

Alium cutis irritandae modum fonticuli praebent et setacea: quorum altero materiei durae cujusvis vel stimulantis in cutem introductionem intelligimus, viâ factâ scalpellae, caustici, aut vesicatorii ope; altero verum cutis transfuturam acûs ope filum e gossypio factum ducentis. Horum utraque dolorem multum irritationemque excitant, pusque verum plus minus eliciunt: ita ut id lente efficere videntur, quod vesicatoria majore sed fugaciore quoque vi. Saepe eventu prospero in morbis vetustis, ubi dolor et inflammatio adsunt, velut in phthisi, morbo coxario, et hydarthro praecipiuntur;

cipiuntur; tunc quidem haud raro effectus feliciſſimos edunt. Eorum tamen actio adeo eſt lenta ut vix plurimum ad morbi cujuſvis acuti medelam valeant. Fonticulo unguenti e cantharidibus ope facto, phthiſis ſigna miteſcere multi aiunt, uti Cullenus aliique. Richterus Germanus trium phthiſicorum hiſtorias narrat, quorum unus amputatione, alter fonticulo cum XXX piſis, tertius demum pectoris abſceſſu ad ſanitatem pervenit: et vix notatis opus eſt quam ſimilis omnino abſceſſus ſit fonticulo. A quibus omnibus, non ſecus quam a rei ipſius naturâ colligere fas eſt, haud leviter in phthiſi fonticulos et ſetacea valere. Morbus coxarius, qui hodie quidem tantum innoteſcere incipit, periculo multo atque dolore ut plurimum comitatur. Acetabuli capitiſque femoris affectio ſtrumoſa eſſe videtur, originem ſuam a noxâ aliquâ externâ plerumque ducens, hiſque ſignis diſcernenda;

da; genu nempe, ac interdum coxae dolore, clune complanatâ, crure primum producto, poſtea vero decurtato et tabeſcente, aegro ſimul atque claudo. Morbus eſt lentus nec aliud nomen ſibi vindicat quam chronicam quandam coxae inflammationem. Ligamenta primo laxa evadunt, unde longius fit crus; obveniente tamen ſuppuratione paullatim ſorbetur ipſius oſſis caput, crus dein decurtatur, aegerque, dolore magno excruciatus, ac febri hecticae ſuccumbens, vitam plerumqne effundit. Exitialis hujus ac minime rari admodum morbi natura non niſi paucis abhinc annis innotuit. Iſchiadem eum eſſe medici olim crediderunt, a quâ tamen cauſa ejus aeque ac periculum omnino abhorret. Vero Eduardus Ford chirurgus Londinenſis, eximium de hoc morbo tractatulum nuper in lucem edidit; medendi methodum porro addidit, cujus ope plurimos, ſi ulla detur fides, ſanavit.

Cauſtico

Cauſtico enim cuti ſupra coxam adhibito, integumentorum pars quaedam aduritur: poſt dies aliquot haec ſuppuratione ſeparatur, et in adeo factum ulcus piſa multa, ſicut XII, vel plura, induntur, ut magna cieri irritatio, puſque uberius elici poſſit. Hoc facto, cito, ait Ford, ſigna vehementiora miteſcunt. Diligenter autem animadvertendum eſt dolorem, a quo primo tempore cauſticum adhibitum fuit, leniorem ſaepe fieri, et aliquando etiam abigi, ne minimo quidem educto pure. Quo tamen propius morbum incipientem ad hoc medendi conſilium fugerit medicus, eo minus dubitandum de medelâ. Notat porro Ford, quod tametſi veſicatoria et cum oleis acribus frictio bonos nonnullos effectus edant, non tamen ad morbum uſque medendum valere. Signa enim, quamvis paulo primum miteſcant, cito ad priſtinam denuo revocantur atrocitatem. Ipſe aegrum quendam tali me-

dendi ratione a cruciatû multo levatum vidi: et a medicis peritiſſimis certior ſum factus plures alios ad ſanitatem uſque fuiſſe perductos, qui multó ante lecto fuerant affixi non aliam ob cauſam quam dolorem intra ambulandum horrendum. Alii tamen medici hujus efficaciam remedii omnino fere abnegant. Forſan non abſimile hoc aliis multis medicinae inventis nimis laudatum ſpem ideo deſtituit. Quanquam enim bonum, non tamen adeo quaſi optimum, veluti primo creditum fuit. Idem Ford ſimilem medendi methodum in hydarthro laudibus magnis effert, quem morbum tali modo aliquando ſanaviſſe, ſaepe ſublevaſſe ſe aſſeverat. Plena venae ſectio topica atque veſicatoria crebra invicem alternantia fonticulorum vicem forſan praeſtare poſſunt: ſed ſtrenue admodum haecce medicamina adhibeantur oportet. Illi ſane qui tempus non revocandum conterit, hirundines

dines quinque vel ſex aegrotanti praecipiendo cum veſicatorio ſingulis hebdomadis vel rarius adhuc, neque e voto res cedunt, neque cedere decet.

In morbo alio, ſpinae nempe curvaturâ, haec fonticulorum ope medendi ratio, quae primo, uti credo, in mentem venit jure laudato Pott, in ſtatu fere eodem eſt, quo in morbo coxario; alii enim medici ejus efficaciam agnoſcunt, alii haud ſecus abnegant. Verum enimvero vix ac ne vix quidem de experimentis Pott, viri iſtius verſatilis admodum ac ingenii omnium capacis, omnino eſt dubitandum; potius vero nobis concludere licet eorum ſaltem multos, qui hoc medendi conſilium male omnino ſecum vertiſſe conqueruntur, minus mature vel ſtrenue quam oportuit ad medelam ſeſe accinxiſſe. Multum a morbi diuturnitate pendet; ſanandi enim difficultas ratione augeſcente in-

dies grandescit. Aliquid quoque inventoris fere omnis nimiae sui fiduciae est tribuendum; inter has erroris causas forsitan quaerenda est veritas. Ni vero tam in hoc morbo quam in morbo coxario fonticuli adsint non tantum lati sed profundi, haud adeo multum haecce remedia valent: neve hoc sufficit, nisi cauta simul atque adhibeatur cura ad irritationem validam excitandam. Tali vero medendi methodo longius continuatâ, effectus subinde feliciſſimi eduntur. Non quidem medela subita ac notatu facilis, velut in febris crisi; qui tale quicquid futurum credet, spem illius falli procul dubio necesse est. Verum si mediocriora speret, et non alia quam signa pedetentim mitescentia, cibi cupiditatem auctam, oculosque vividos expectet, viribus corporis simul atque renovatis ac febre hecticâ, si qua adfuerit, fugatâ, parum abest probabilitas, quin res e voto cedent. Aliquando sine dubio

citior erit medela, sed aliquando quoque tardior adhuc, et haud raro non omnino veniet. Si igitur medico non talis sit patientia, qualis ad lentarum adeo rerum adventum praestolandum valeat; vel si strenue dies paucos primos tantum se ad medelam accingat, magno facto fonticulo et cum pisis bene impleto; rebusque non adhuc melius vertentibus, si socors fiat ac parum diligens; si longius hancce medendi methodum continuet, solummodo quia alia quae praescribat non sciat medicamenta, tunc pisorum paullatim minuitur numerus, fonticulus granulationibus impletur, non amplius excitatur irritatio, neve medicatus hujus sit experimentum. Si e contrario hebetis sit ac torpidi ingenii vir, parvum faciet in morbo coxario fonticulum et in spinae curvaturâ superficiarium; et quotidie, dum mensium aliquot spatium haecce continuet, de chirurgicorum Pott et Ford impudentiâ singulari mirabitur,

qui

qui ſtipendas adeo et falſas penitus ſanationum hiſtorias in lucem publicam ederant. Nemo abenit, quin ſibi gratulabundus cogitabit qualis ipſe ſit vir, qui jactatorum errores adeo ſpecioſorum patefecerat. Omnibus eadem ſunt remedia, ſed non omnibus eadem audacia ſagax, atque firma animi conſtantia. Praeter vero fonticulorum et ſetaceorum uſum, utpote quae partes ſubjacentes afficiunt remedia, modus ea adhibendi alius eſt vix minus generalis ad humores, ſcilicet, e corpore eliciendos. Situs quidem parum valet: a parcâ nimis vel copioſiore humorum detractione effectus, quos bonos maloſve edunt, ſperandi ſunt omnes. Fluidorum minuunt molem; quamobrem ea ad plethoraе levamen praecipiuntur, ac ſi quo tempore ulceris vetuſti, haemorrhoidum, ſive exinanitionis aliae cujuſlibet fluxum ſiſtere ſit votum. Medici nonnulli ob quam efficiunt revulſionem iis adhuc utuntur, cujus

pro

pro exemplo fit fonticulus in cervice ad ophthalmiam, amaurosin, tineamve capitis amovendam. Fonticuli in femoribus a nonnullis haud mediocriter ad anginae pectoris medelam fuerunt laudati: Quomodo ibi agunt, ignorantia nostra nimia de hujus morbi naturâ nos investigare prohibet. De iis igitur medicamentis forsan concludere licet, multum audacter praescripta valere, parum timide.

Sinapismi nuncupantur cataplasmata quaedam e pane cum sinapi pauxillo et aliquando aceti commisto praeparata. Vegetabile aliud quidvis acre effectum haud absimilem edit: Sinapi vero facilius comparari queat, caeterisque plus valet. Cito ejus ope excitatur rubor erysipelatosus atque urendi sensus; raro autem tam longe corporis parti cuivis adhibentur, quam ut vesicata sit. Hujusmodi vero vesicationibus exortis, facta

ta exinde ulcera sanatu sunt difficillima. Sinapismi igitur manifeste tantum ob irritationem, quam edunt, praecipiendi; minime utpote quae corpus exinaniunt medicamina. Saepe aegrorum pedibus febre aliove morbo correptorum, quibus sane vita vix superest, adhibentur. Dum cantharides caput vesicent, sinapismi pedes ad inflammationem excitant; unde videre est aegrum, si sanitati non reddatur, secundum artem nihilominus emori. Sinapismi plantis maxime applicantur. Verum aegrotans, si morbus pellatur, non mediocre ob cutem pedum teneram fert incommodum; quare pars pedis superior, quae vix multo minus irritabilis, longe magis est opportuna. Qui vero ab hoc remedio moribundis fere, uti mos est, praescripto multa sperabit, illi haud abest dubium quin parum e voto res cedent. Quanquam anceps talis etiam medicatûs auxilium medico sagaci minime est

spernandum.

spernandum. Sinapismi vesicatoriis nonnunquam anteponendi, quando scilicet, quod cito effectum edat, opus est medicamine, vel aegrotanti vesicationis parcenda est molestia; alioquin vero minor eorum est efficacia.

Cauterium potentiale rarò admodum ad cutem irritandam praecipitur. Postea enim hujus ope cutis adusta fuit, aliae ad irritationem continuandam potestates huic anteponuntur. Adeo sine dubio cauterium potentiale adhiberi possit, ut hic quoque edatur effectus; sed caeteris nullomodo praestat medicamentis, quae vero huic antepONendae, a quibus nempe vis abest corrodendi.

Olea essentialia quae ad partes externas stimulandas praescribuntur, olea praecipue sunt terebinthinae ac succini. De oleo autem

tem camphorato atque ammoniato, de alcohol, oleo olivarum calido, caeterisque frictionis auxiliis parca simul atque differere placet. Haec omnia medicamina cutem inflammant: Quamobrem rubefacientia nuncupantur. Inertia sunt aut languida saltem remedia, vesicatoriis nempe comparata. Eorum vero usus tutus est ac facilis, neque omnino abest efficacia quaedam; quapropter ista adhuc adhibentur. Hujusmodi medicamenta caetera oleum terebinthinae longe antecellit; omnibus sane cedit oleum olivarum. De his autem remediis notandum est multum a frictione eorum efficaciam pendere. Quo porro inertiora sunt medicamina, eo hoc est certius. Ad dolorem sublevandum, velut in affectionibus hystericis inflammationibusque quibusdam levioribus praecipiuntur. Aliquanto ad tonum instaurandum, uti in anasarcâ, valent. Eorum quolibet in morbo isto uti licet:

Verum

Verum terebinthina caeteris forsan anteponenda, quia, dum pariter vel plus etiam partem stimulet, olei hujus aliquantulum forberi possit et major inde oriri urinae fluxus. Attamen ab olei terebinthinae usu id proficisci possit incommodi, quod cutis nempe ad inflammationem excitari possit, dum gangraenae maxime sit obnoxia; quare nec dura admodum nec saepe pars est quaelibet fricanda. Oleum hocce, sive ex hoc praeparatum aliquid frictione validâ spinae indies adhibitum, ut cieri possit ac continuari cutis inflammatio, haud raro pertussi felicitas occurit; eo sane vesicatoriis anteponendum est, quo quotidie repeti potest, ac irritatio inde oriatur perpetua.

Considerandа adhuc manent medicamenta alia pauca, de quibus nunc agere solum, quia viri illustres ea laudibus magnis olim extulerunt, decrevi. Horum primum maxi-

neque imprudum, longe vero celeberrimum, cauterium est ipsum, remedium tunc sane inventum, quando ars chirurgica vix ac ne vix quidem arti praestabat laniorum. Crudele quanquam atque saevum medicamentum, effectus nihilominus bonos aliquando edidit. Chirurgis revera qui nil de ligaturis ad haemorrhagiam sistendam scirent, spes nulla adfuit, nisi stypticis adhibitis, spongiis ferrove candente. Non ambigitur porro, quin cauterii ipsius ope facti fonticuli, licet ultra modum omnem crudeles sint ac acerbi, neutiquam tamen aliis, manu scilicet leniori adhibitis, minus sunt efficaces. Plurimae fuerunt operationes aliae, chirurgiâ jubente ac admoto igne factae, de quibus autem ut rei nostrae omnino alienis hic differere non placet. Calor mediocris cutem inflammat; intensior paullo vesicat: acerrimus vero factus cutis vitam extinguit, partibus inflammatis suppositis.

positis. Semper dolore sibi proprio stipatur, caeteris fere omnibus atrociore. Neve est cur caloris in corpus externum actionem a cantharidum acriumve aliorum actione discrepare credamus. Utraque cutem inflammant, vesicant, doloremque urentem dictum excitant. Quanquam calor corporis fabricae fiat obnoxius, si quo tempore intendatur nimis, inde vim ejus quod ad gradum caeteris majorem esse, nequaquam vero genere differre, concludere fas est. Attamen remedium hocce penitus hodie rejicitur; nisi quidem ferramenti candentis usum, ad nervum dentis odontalgiâ affecti urendum, animadvertere placet.

Moxa quasi alius urendi modus adhibetur, Materies est vegetabilis, quam colit India orientalis. E hâc fit conus, cujus basis corporis parti alicui applicatur, apice incenso. Tali modo cutis aduritur, ulcusque

que faciunt. Gossypium eadem fere efficit; sed hodie rare admodum ad horum cuiusvis usum effugit medicus.

Emplastrorum resinosorum nonnulla quoque sunt notanda. Haec sunt praeparatae quaedam e resinâ rebusque aliis, quas in pharmacopoeiâ videre licet. Minime hic quidem de emplastris vesicatoriis, adhaesivis, narcoticisve quicquid est differendum; verum de iis tantum, quae tumores discutiunt, iisque roborantibus dictis, vel e piceis factis. Haec omnia tumoribus dolore expertibus applicantur, et ad morbos alios amovendos. Ea vero non praecipere solent medici magna sperantes: vix enim medicamenta ea antecellunt, quae *placebos* linguâ vernaculâ nuncupamus. Cutem paullo rubefaciunt; atque rubori huic est tribuenda aliqua, quam jactant, efficacia.

Haec

Haec igitur medicamenta sunt ad irritationem ciendam externam usitata. Nec amplius quod ad actionem invicem discrepare videntur, quam uti plus minusve eorum effectus fugaces sint aut validi. Multa opinioni huic favent. Haec omnia medicamina partem, cui adhibita fuerunt, irritant, inflammationemque cient, quam excipit effusio. Nec quicquid inter ea generice interesse nos concludere oportet, quia semper non idem prorsus sit fluidum effusum. Posterius eorum actionem aliquando saltem non ab evacuatione quâlibet pendere demonstrare conandum est. Si vero hoc frustra tentemus, notatu tamen dignissimum est, quanta inter fluida intercedit similitudo. Serum pusque principia sunt; et de iis a viris, quibus nemo ingenii acris ac perspicacis laudem negabit, fuit judicatum puse sero praeparari. Irritationis externae porro modi varii ad morbos plurimos fugandos

adhibentur,

adhibentur, quorum maxime notabilis est similitudo. In phthisi enim morboque coxario quanquam fonticulos et setacea, in phlegmasiis quanquam vesicatoria sinapismosque caeteris praeponimus, haec idcirco facta sunt, quia priores, morbi scilicet chronici, medicamenta, ut ita dicam, chronica sibimet vendicant; posteriores vero, qui citius ad crisin perducuntur, auxilia quaepiam fortiora. Omnia haec igitur dum perpendamus, certe quod ad gradum, generice autem non probabiliter discrepare confitendum est. Nunc vero de eorum actione pauca differere oportet: et quatenus sint de hâc opiniones corporis vivi legibus convenientes.

De epispasticis ratiocinationes variae fuerunt et mutabiles pro theoriâ medicâ tunc temporis maxime pollente: tentavit enim quisque non theoriam suam ad naturae normam,

miam, verum e contrario naturam ad theoriam accommodare. Quum pathologiae humorali homines fidem darent, haud absurde vesicatoria humorem peccantem e corpore elicuisse existimaverunt. Hodie autem de atrâ bili et pituitâ fabulosa ista credere animus noster parum inclinat. Si vero aliter res se habuerit, postulandum adhuc est, cur aliis nunc unum nunc alterum humorem vesicatoria praeponant. Neque materia morbifica rationem meliorem praebet. An materies ulla talis adsit in plurimis vesicatoriorum ope medendis morbis omnino ambigitur: ejus autem eliminatio prorsus fide est indigna. Corporis totius materiam morbificam in digitorum trium quatuorve tranfversorum spatium colligi, deinde vero eliminari, pure nihilominus ferove ne minimam quidem acrimoniam prodente, non est credendum.

Boerhavius

Boerhavius veſicatoria morbis communibus occurriſſe, vel in corpus univerſum egiſſe ob ſanguinis lentorem ſolutum arbitratus fuit: quam tamen doctrinam vix ſagax D. D. Cullen ſatis ſuperque falſam eſſe demonſtravit. Verum enimvero quando epiſpaſtica ad phlegmaſias tollendas adhibeantur, ea revulſionis vi effectus ſuos praeſtitiſſe putavit. Minime vero de hâc ſententiâ inter omnes conſtat. Phrenitidis ſinapiſmorum pedibus admotorum ope medela, quam Cel. Van Swieten vis eorum revellentis argumentum eſſe credidit, e contrario pugnare videtur. Quomodo enim propter fluidorum pedes verſus parcam adeo affluxam molem, (quam porro ab omni corpore reliquo pari ratione dimanaviſſe oportuit), capitis vaſa tam fuerunt depleta, quam ad inflammationem vehementiſſimam compeſcendam par ſit, difficile ſane eſt intellectu. Iſtiuſmodi reverâ revulſio effectum talem

lem ſolummodo edere poſſit, qualem ſanguinis moles eadem e brachio educta; verum, non niſi copiosè admodum ſanguine detracto phrenitis fugari poſſit. Alioquin igitur quam revulſionis ope veſicatoria morbum huncce depellunt. At vero epiſpaſticis morbi ſedi quam proxime admotis, quanquam revulſio in rebus talibus magis pollere credi poſſit, minime exiſtimandum eſt ſolam hanc eſſe veſicatoriorum actionem. Crebro enim inter partes externas ac internas nexus nequaquam tam notabilis eſt, quam ut credi poſſit plus revulſionem partem morbo vexatam corpore reliquo afficere. Si vero non plus afficiat, eadem denuo repetenda ſunt, quae antea; fluidorum nempe adeo parcam ſubductionem haud multum ad phlegmaſias pellendas valere. Praeterea in colicâ, ſingultu, et aſthmate ſpaſmodico, ubi plurimum valent veſicatoria, vix opus eſſe revulſione quâlibet videtur, ad quorum

nempe morborum feles haud antea accumulata fuerunt fluida.

Cel. D. D. Darwin doctrinam aliam de vesicatoriorum actione nuper protulit; haec viri hujus ingeniosi opinionibus multis aliis haud absimilis consensibus quibusdam nititur, quos inter corporis partes diversas existere arbitratur. In ratiocinationem suam hâc observatione ingreditur, vesicatoria corporis superficiem stimulare; vel ut ipsissima verba dicam, "blisters invigorate the exer-"tions of the arterial and lymphatic vessels "of the skin." Quando vero, ait, cardialgia adsit, si epigastrio imponatur vesicatorium, consensu inter partes quodam adaugetur ventriculi actio. Quanquam autem hoc modo ratio quaedam de vesicatoriis reddatur, quando ventriculi stimulatione sit opus, in gastritide nihilominus, ubi stimulatio nimia jam adsit, nil valet hujusmodi ra-

con-

ratiocinatio. Vix quidem constat, cur in cardialgiâ ipsâ ventriculum stimulare fas sit. Ibi enim materie acri irritatur, et sensile jam nimis hoc viscus evasit. In gastritide autem absurda prorsus talis esset indicatio; in quo revera morbo conamina nostra ad stimulationem minuendam diriguntur omnia. Posteriûs paullo, ait ille, (non enim plene admodum de hâc re differuit,) vesicatoria expectorationi in peripneumoniâ favent, cutem primo stimulando; eâ deinde stimulatione ad membranam pulmonum mucosam consensûs alicujus ope devectâ. Hoc modo expectoratio exoritur, morbusque solvitur. Saepe vero membranam mucosam in peripneumoniâ plus minusve inflammari est verisimile. Vesicatoriorum porro usus ad catarrhum levandum, qui membranae mucosae inflammatio est hoc omnino abhorret. Namque, vesicatorio adhibito, cutem stimulari, cum hâc vero membranam mucosam consentire, morbum dein ingravescere oporteret. E

con-

contrario vero res se habet. Unde certe vesicatoria nullâ re interpositâ, inflammationibus occurrere potius concludendum est, quam membranas cujusvis stimulationem intercedere. Ab iis autem, quae de vesicatoriis disseruit, quodammodo postea decedit; quando scilicet ea medicamenta morbi tantum finem versus praescribenda dicit, inflammatione vero adhuc urgente. Pro explorato porro habet vesicatoria peripneumoniae prope finem eo valere, quo horroris accessioni vespertinae occurrunt, eorum stimulo cuti universae impertito: non aliter, ait ille, quam laudani guttae quinque ventriculum stimulando rem eandem efficiunt. Non meum equidem est quaerere, num numero quinque solummodo uti fas est; sed cutem universam a vesicatoriis stimulari parum certum est. Praeterea non nisi de inflammatione mitescente ratio redditur. Quaerendum enim est, cur, incipiente morbo, effectus optimos vesicatorium saepe edit,

dum

dum laudani guttae quinque vel nullum prorsus vel malum solummodo effectum edidisset? Cur porro, sanguinis detractione omissâ, non laudanum, non vesicatorium morbo occurrit, verum e contrario horrorem aeque ac signum aliud quodque malum et avertendum insigniter adauget. Hic sane, quamvis a re alienum paulo sit, viri ejusdem inclyti ratiocinationem aliam de laudani liquidi usu ad ophthalmiam medendam silentio praetereundam non puto. Ut oculi venae ad sanguinem sorbendum ciean-tur, adhiberi laudanum asseverat. Tametsi vero, tali admoto medicamine, sanguis saepe sorbeatur, rationem nullam profert, cur medicamentum, quod, sanitate salvâ, oculum inflammat, morbo urgente, inflammationem arceat? Nec cur laudanum hocce ipsum venas ad sorptionem potius quam arterias ad effusionem, partemve quamque aliam ad actionem auctam stimularet?

Aliam

Aliash et a caeteris discrepantem esse vesicatoriorum actionem D. Cullen contendit. Ne vero laudato huic viro quae non dixit, falso attribuam, ipsissima audi verba e primis lineis (192. 193.) excerpta. "Much "has been imputed to the evacuation occa- "sioned by blistering; but it is never so "considerable as to effect the whole system, "and therefore can neither, by sudden de- "pletion, relax the sanguiferous vessels, "nor, by any revulsion, affect the general "distribution of the fluids. The evacuation, "however, is so considerable as to affect the "neighbouring vessels; and the manifest "utility of blistering near the part affect- "ed, in inflammatory diseases, leads me to "believe, that blistering, by deriving to the "skin, and producing an effusion there, "relaxes the spasm of the deeper seated "vessels, &c. &c." Haec doctrina plane ab inflammationis theoria ista, quae Cullenio placuit,

placuit, omnino pendet. Si enim spasmus non sit inflammationis causa, minime, soluto spasmo, inflammatio fugari possit. In commentariis porro Cel. Van Swieten (§. 956.) dictum est phrenitidem, sinapismis pedibus admotis, crebro abigi. Unde colligere fas est, quod pedum irritatio caput levare possit, etsi minus forsan quam ipsius capitis vesicatio. Nescio utrum docto Cullenо placuit effusionem a parte affectâ distantem hujus spasmum solvere potuisse. Ex verbis ejus supra citatis haud liquido patet; neque alia, quae de hâc re scripsit, invenire potui. Si vero non placuerit, explanandae adhuc manent phrenitidis sinapismorum ope medelae. Si alia autem fuerit ejus sententia, tunc de totâ doctrinâ observandum est, quod affirmet solummodo effusionem seu derivationem ad spasmum internum levandum valere; cur vero hunc levat, causam non reddit. Quoniam igitur theoriae haece om-

nes

nes mancae quodammodo videantur, aliam de hac re opinionem proferre licet.

Senſibilitas ea corporis vivi conditio eſſe definitur, quâ, ſtimulis partibus ſentientibus admotis, ſenſus exoritur. Corporis humani maxima longe pars hâc poteſtate eſt praedita. De membranis quidem ac cartilaginibus paucis dubitatum fuit: Vero illae etiam, morbo urgente, haud ambigua ſenſibilitatis ſigna produnt. Haec facultas non ſponte agit; nam ſtimulo aliquo ad vim ejus eliciendam ſemper eſt opus. Hujuſmodi ſtimulorum nunquam abeſt copia abundans, calor ſcilicet, ſanguis, fluidaque varia. Unde exoritur, quod, dum ſenſibilitas adſit, tum quoque ſenſus plus minuſve nunquam fere abeſt. Æquilibrium quoddam ſenſibilitatis hujus eſſe videtur inter corporis partes ſenſiles, quod parum mutari poſſit, dum ſecunda maneat valetudo. Senſibilitas per corpus fere totum adeſt,

eſt, in aliâ vero in aliis partibus ratione, viſcere omni parteque ſenſibilitatem ſibi propriam vendicante. Si vero ultra modum ſuum juſtum augeatur partis cujuſlibet ſenſibilitas, uti haud raro in plurimis morbis evenit, auctus hicce vel a parte vicinâ unâ, vel a corpore univerſo abducitur, partis ejus vel corporis totius ſenſibilitate minutâ pro auctâ eâ partis morbo affectae. Hoc ratiocinatione variâ firmatur. Quando inteſtinorum ſenſibilitas, velut in diarrhoeâ communi augeatur, ventriculi ſimul ſenſibilitas minuitur; aeger cibi non amplius eſt cupidus, cruditatemque conqueritur. Ad morbum huncce medendum methodus ſat bona eſt ventriculum medicamenti emetici cujuſvis ope ſtimulare, ut viſceris hujus ſenſibilitas rationem juſtam habeat cum inteſtinis; quo facto morbus exinde evaneſcit. Quando porro podagrae ſigna adſpiciamus, alia ab illis aequilibrii

ſujus argumenta educere poſſimus. Nam morbus iſte non partes plures ſimul, vero unam tantum adoritur. Quum enim ad pedes adit, ſalvus eſt ventriculus; ventriculo autem correpto, ſani illico pedes evadunt: atque, mutatis mutandis, verba eadem repetenda ſunt ſeu capiti, pectori, abdominis viſceribus, partive alii cuicui ſit obnoxia. Neve de phaenomenis iſtis materiae morbificae doctrina rationem reddere poſſit; tranſitiones enim iſtae adeo ultra ſenſum veloces ſunt, quod fluidi nullius in corpore motus ad earum explicationem valeat. Eas nili motus muſcularis, voluntate jubente, nil rapiditate exaequat. In morbo hocce ſane ſenſibilitatis conditio fluctuans eſſe videtur. Quapropter conamina varia ad hanc ſenſibilitatem huc illuc transferendam exoriuntur. Minime arbitror me rationem, cur podagra partes quaſdam, ventriculum nempe pedesque aliis antepo-

nit,

ponit, reddere oportere. Mihi sufficiat, quod plane inter omnes constat in morbo hocce, ante non partis unius sensibilitatem adaugeri, quam alterius fuerit imminuta. In rheumatismo acuto, non minus quam vetusto, hoc quoque observari possit aequilibrium. Nil enim consuetius est, quam ut hic morbus ab unâ parte fugatus sit, alterâ correptâ; Saepe enim a quo tempore primum adest dolor novus, vetus minuitur. Erysipelatis porro translationes huic opinioni multum favent. Nemini quidem ejus morbi dolor ignotus, neque ad situm mutandum proclivitas. Medicos sane omnes doloris exempla non pauca vidisse oportet, qui ab unâ parte fugerit statim ac altera fuit correpta. Phrenitidis a sinapismis pedibus admotis medela huic quoque sententiae annuit. Morbi istius saevi, tetanici dictis, levamen, irritatione parti vulneratae adhibitâ, argumenta nova praebet. D. Haygarth

garth aegri tetano affecti historiam narrat, qui dolorem conquestus fuit, musculos colli et nodum poplitis tendinem alternis vicibus vexantem. Colicae porro phlegmasiarumque vesicatoriorum ope medela eadem illustrat. Et, ne plura dicam, inflammationis ab urethra ad testes translatio alii cuicui doctrinae male est congrua. Pus quodlibet mucumve ab urethra ad testes usque per vasa deferentia transire posse parum fide dignum; neque est verisimile inflammationem tali modo, nisi rarissime, devehi. Nam primo velocius longe evenit, quam inflammationem talem transisse credi possit; dein non dolor semper in funiculo spermatico adest: Quamvis, si adfuerit, testis ponderi aucto id tribui possit. Inflammatio porro ad testem vicinum haud raro transit, ad quem nemo mortalium inflammationem quoquomodo serpere posse asseverabit. Verum e contrario, si haec omnia

nia ſenſibilitatis aequilibrio rupto tribuamus, lucida ac manifeſta res exinde evadit. Tunc enim nil hic adeſſe credimus, niſi exceſſûs ſenſibilitatis ab uno ad alterum locum tranſitionem. Iſtiuſmodi quoque forſan ſunt teſtium tumor ac dolor a cynanche parotideâ oriundi. Hippocratis aphoriſmus eſt, qui huic ſententiae favet. "Duobus doloribus ſimul exortis, non in eodem loco, vehementior obſcurat alterum." Ab hâc ſane obſervatione, non minus quam ab aliis nonnullis ſupra citatis, aequilibrii doctrina pendet. Aphoriſmus id aſſerit, quod corporis univerſi legibus congruum facere doctrina tentat *.

Veſicatoria

* Me ſane hic locorum notare decet, quod doctrinae hujus principia a patre meo inhauſi. Ille tractatulum de morbis nervoſis ſcripſit, ac coram ſocietate, literariâ dictâ, in univerſitate Glaſguenſi publice (anno 1782) legit. Quo in opuſculo aſſeveravit aequilibrium eſſe ſenſibilitatis; cui argumento fuiſſe hoc credidit, quod dum cutis externa, veſicatorio adhibito, ſenſilior fiat, inflammatio profundior penitus ſubinde evaneſcat.

Vesicatoria vel ad corporis totius, vel ad corporis partis morbo affectae, vel denique ad partis sanae stimulationem adhibentur. Quando ad corpus universum afficiendum applicentur, eorum operandi modus vix ab alius cujusvis stimuli modo abhorret. Dubitare quidem cum Culleno licet, num stimulus ob inde exortam humorum detractionem multum valeat? Hoc autem praetermisso non ab aliis medicamentis, quae corpus a statu debili torpidove excitant, discrepare videntur. Quapropter ad comata levanda undecunque exorta praecipiuntur; neque abnegari possit, quin effectus bonos aliquando edant. Talibus sane auxiliis eo plus confidere oportet, quo aeger aliis remediis difficile admodum afficiatur plurimum possit. Si in febre recenti quid ex iis boni unquam exoriatur, eidem est tribuendum: Ac de eorum in variola usu

usu (si hujusmodi quid est) vix dispar est ratio.

Vesicatoria quoque partibus morbo affectis adhibentur, veluti in paralysi hydrope, atque herpete. In paralysi corporis pars quaedam torpida evasit; quare stimulatione est opus: Et vesicatoriorum in morbo hocce applicatio bene, uti aiunt auctores, subinde vertit. In hydrope vesicatoria serum nimium evacuant; et cantharides ipsae, si forsan harum pars quaeque sorbeatur, diuresi favere possint. Iis vero, qui hydrope laborant, vesicatoria caute admoveantur oportet, neque unquam cutis hydropicae ad gangraenam proclivitatis obliviscendum medico. In herpete vesicatoria partem affectam tantummodo stimulare videntur. Horum remediorum prope glandulas colli tum das applicatio, cujus mentionem facit D. Percival, effectus suos bonos

edit

edit vel ob sorpticum, vel forsan per glandulas cantharidum transitionem, vel forsan ob glandulae tali modo imminutam sensibilitatem. De his remediis, utpote quae fluidorum minuunt molem, satis jam fuit disceptatum.

Vesicatoria porro ad partes sanas stimulandas nec raro adhibentur, sicuti in phlegmasiis, haemorrhagiis, colicâ, dysenteriâ, diarrhoeâ post morbillos, et vomitione. In inflammatione omnigenâ duae sunt res notatu dignissimae haud secus ac facillimae: Fluidorum nempe partem versus fluxus solito major, atque sensibilitas aucta. Non sane nostrum est hic locorum quaerere unde haec oriuntur, aut quae sit inflammationis causa proxima? Hoc sufficiat, quod maxime notabilis est et fluidorum ad partem et sensibilitatis auctus. Pars enim ulla, velut oculus, decolor antea et exsanguis, sta-

tim ac inflammatione est correpta vivide rubescit, vasis olim feriferis multo nunc sanguine turgentibus. Si vero sensibilitate fere nullâ praedita pars fuerit, velut cartilago quaevis, inflammatione excitatâ, protinus sensilis adeo evadit, ut quam partem nullus antea stimulus afficiebat, eam leviſſimus nunc tactus, dolore immani cruciatibusque torquet. Sensibilitas igitur ac fluida nunquam in inflammationibus non augentur; sedulo igitur notandum est, horum sublato quovis, fugari morbum. Sensibilitatem causam esse inflammationis nequaquam nunc assevero; neque quicquid, cur inflammatio et aucta sensibilitas simul plerumque evanescunt, est disputandum. Hoc solo fundamento nititur argumentum adeo se rem habere. Omnia enim remedia nostra, quae ad inflammationem pellendam valent, vel fluida, vel sensibilitatem a parte affectâ detrahere videntur. Nam si febrem

praestemittamus, quâ segatâ inflammatio nihilominus perstare possit, medicamenta cuncta nostra tali modo agunt. Refrigerantium ordo totus fluida plane ac forsan sensibilitatem quoque partis minuunt. Hirudines, quas plurimum valere confitendum est, revulsionis ope praecipue effectum suum edunt. Verum si inflammatio partem internam quamlibet adoriatur, non hacude adhiberi possunt auxilia. Pyrexia plerumque adest, ad quam compescendam sanguis multus detrahatur oportet. Si autem aegrotantis sanguini parcere sit votum, vesicatoriis adhibitis id fieri possit. Quomodo igitur hoc efficiunt? Duplici uti videtur modo; vix enim abnegari possit fluida aliquando a morbi sede abstrahi. Verum enimvero inter partes externas ac internas nexus non semper admodum est arctus; atque medicamina ista a parte effectâ adeo remota saepe cum eventu felici adhibentur

ut

ut parum valere possit revulsio. Vesicatoria enim nonnunquam effectum suum edere videntur, sensibilitatem, quâ adhibita fuerunt, augendo; ad partem vero inflammatione correptam minuendo. Pars enim vesicata sensibilitatem sibi comparare videtur a partis affectae sensibilitate nimia. Nam a quo tempore vesicandi dolor incipit, inflammationis minuitur (vide Pringle). Si interroget quivis, cur febris tollatur ob sensibilitatem hanc nimiam in cutem translatam, illi respondendum est dolorem in locis quibusdam nequaquam ut in aliis corpus universum afficere: vesicatorii porro dolorem paullatim minui, sensibilitatis rerum aequilibrio instaurato, dum inflammationis dolor longius multo perstitisset. Neque aliam de hâc re rationem scio. In morbis aliis eodem fere modo effectum suum praestant vesicatoria. In haemorrhagiis revulsionem forsan plus valere credi possit:

verum

verum pars, a quâ longius absit, sensibilitate quidem aucta non ægre, uti videre est a dolore, titillatione, ac caloris sensu. In colica æquilibrii sensibilitatis ope explicatio dilucida est ac manifesta. Spasmus a sensibilitate nimia partium internarum exoritur: fortius igitur partes externae irritentur; sensiliores hae evadunt, internae vero minus sensiles, spasmusque solvitur. In dysenteria et fluidorum et sensibilitatis partem affectam versus fluxus adductus esse videtur. Si, uti Cullenio placuit, a spasmo pendeat, vesicatoria eodem quo in colica modo valent; si vero abnormis fluidorum distributio intestina versus fiat, vesicatoria sanguinem in cutem ducere possint. Ambobus forsitan quadantenus fides adhibenda. In diarrhoea a rubeolis exorta vesicatoria inflammationem quandam tollere videntur; quare eodem modo quo in phlegmasiis agere credendum. In vomitione saevâ ac longius

per-

perstante, (vide Percival), ventriculo de morsibus convulsivis multo dolore stipatis laborante, vesicatoria regioni epigastricae adhibita optimos subinde effectus praestant. Vesicatoria igitur sensibilitatis aequilibrium instaurare haud raro videntur: et, mutatis mutandis, eadem denuo de sinapismis, oleisque acribus repetenda. In eorum tamen minus adhuc quam in vesicatoriorum actione revulsio valere videtur ob effusionem ab illis pene nullam exortam. In rheumatismo saepe cum eventu fausto adhibentur: in eo tam revulsione quam stimulo suo agere possint, aucta cutis sensibilitate, ut partes subjacentes minus sensiles evaderent.

Pauca tantum amplius de fonticulis et setaceis ante finem factum est differendum. De validâ eorum vi satis jam ac super forsan dictum fuit. Vix quidem dubitari possit, quin eadem prorius sit eorum quam vesi-

vesicatoriorum actio: quanquam plus paullo forsitan revulsio valeat. Morbi plurimi, ad quorum medelam adhibentur, etsi vetusti plane sunt inflammatorii; et in horum pluribus, vesicatoria levamen saltem adferunt, si non sanitati omnino corpus reddant.

FINIS.

vellicatoriorum adjicio: quamquam plus paullo fortiora revulsio valeat. Morbi plurimi, ad quorum medelam adhibentur, ejusmodi vesicatoria plane sunt inflammatorii; et in horum plurimis, vellicatoria levamen saltem afferunt, si non sanitati omnino corpus reddant.

FINIS